

Dat. die 8.
Jan. 1665.
AN. XI.Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
sub Annulo Piscatoris, die 8. Jan. 1666.
Pontificatus nostri Anno XI.

D X X X I I I.

Ex Regest. in
Soc. Lev.

Confirmatio Binarum Literarum patentium Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum pro felici statu, & progressu Congregationis B. Jacobi Veneti in Provincia Veneta d. Ordinis a dicto Magistro Generali instituta, studiisque in ea pro promovendis emanatarum, cum prohibitione ne de cetero Fratres professi ejusdem Congregationis ad Conventus præfate, vel alterius cujusvis Provinciae dicti Ordinis transire possint absque expressa licentia d. Magistri Generalis pro tempore existentis.

ALEXANDER PAPA VII

Ad perpetuam rei memoriam.

Executium.

IN sublimi Sedis Apostolicæ specula omnium Christianissimorum commodis, & utilitatibus jugiter invigilantes, ea, quæ pro felici Congregationum virorum Religiosorum vota sua Altissimo in sanctitate, & justitia reddere satagentium statu, & progressu salubriter constituta, atque disposita esse noscuntur, ut firma semper, illibataque permaneant, Apostolice muniminis patrocinio libenter constabimus, & alias opportune desuper providemus, prout ad Omnipotentis Dei Gloriam, ac Religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Congregationis Beati Jacobi Veneti Ordinis Prædicatorum a dilecto filio Magistro Generali ejusdem Ordinis in Provincia Sancti Dominici Venetiarum erectæ, & institutæ, quod alias idem Magister Generalis Regularem Observantiam in dicta Congregatione stabilire, ejusque felici progressui providere, & Literarum studia promovere cupiens, binas edidit Patentes Literas tenorum, qui sequuntur, videlicet.

In Dei Filio sibi dilecto admodum Reverendo Patri Fratri Petro Martyri Pegna Provinciae nostræ Sancti Dominici Ordinis Prædicatorum, Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor, ejusdem Ordinis Magister Generalis, & Servus.

Ingeniose observavit Gilbertus Abbas quod tamen Luce XI. unicus tantum commemoratur fortis armatus, qui custodiat atrium suum, omniaque illic in alia pace contineat; attamen Cantic. 3. circa regium Salamonis lectulum multiplicentur armati. Custodes, & quidem numerentur sexaginta viri, iique delecti ex fortissimis Israel, quibus illic committantur excubiæ, nempe (inquit citatus Gilbertus) uberior hic commemoratur Custodia, quia uberior

est gratia lectuli, quam atrii, quasi dicat in atrio, ubi minor est a seculo quies, sufficit una simplex Custodia, & interiori Cubiculi Salamonis, ubi sine strepitu arctior contemplantium file recessus multiplicandi sunt Custodes, ne quid facile turbari, aut secretioris observantiæ quies possit interrumpi; inde est, quod & Nos quorundam nostrorum in Provincia Sancti Dominici Conventuum arctioris observantiæ tanquam Superiori Salamonis interiori cubili suam quoque pervigilem custodiam duxerimus multiplicandam, videlicet ultra communes sui Provinciae alias excubiæ peculiarem ipsis addendo Custodem, & Vicarium ex fortissimis Israel, qui dicti Conventuum securiori quieti imminet profectui semper invigilet, ne quid palam, aut furtim irrepat quod vel exactissima illic disciplina sacrarium contamineat, vel studiorum contemplationis pacata exercitia relaxato aditu interrumpat. Quod quidem consilium eo fidentius, libentiusque amplectimur, quo instantius, ac opportunius hujusmodi saluberrima provisio (nostro ordini, tam intra, quam extra Italiam, haud peregrina, vel inusitata) tum ab ipsimet Conventuum illorum, sanctiorisque observantiæ ascetis, tum ab aliis viris conspicuis, atque gravissimis unanimi suffragio exoptatur. Quorum pio, ac rationabili voto siquidem annuere decrevimus, ut nihilominus supradictæ Provinciae sua perstet inviolata membrorum omnium integritas, subordinatio, ac primæ compages, ita quod ex hoc paucorum Conventuum sub uno Vicario nova conjunctione, nulla eorumdem fiat a communi Provinciae corpore disjunctio, nec proprii Vicarii, seu novi Custodis adjectio veteris Provincialis Custodiam statione dimoveat, sed adjuvet potius, fidoque sublevamine concorditer suffulciat. Itaque harum serie Te Admodum Reverendum Patrem Magistrum Fratrem Petrum Martyrem Pegna præfatum, absolventes prius, absolutamque fore censentes ab omni vinculo excommunicationis, & quovis alio Ecclesiastico impedimento (si quo esses innodatus) ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, auctoritate nostri officii, & ad solum effectum regularis observantiæ tuendæ, ac promovendæ in nostris Conventibus Sancti Secundi, Civitatenfis, Farenfis, Rosaciensis, ac Justinopolitano, & si qui alii Conventus hujus Provinciae successivo tempore eundem strictioris observantiæ rigorem fuerint amplexati, aut pro eadem noviter fundati, institutum, damus præficimus, institutumque, datum, ac præfectum declaramus Vicarium Generalem præmemoratorum Conventuum, seu locorum, salva auctoritate Patris Provincialis pro tempore quoad annuam eorumdem personalem visitationem, & Priorum ibidem canonicam confirmationem, ita tamen, quod ipse nullum inde Religiosum amovere, aut alium illuc assignare, vel usum illius dispensationis introducere, aut ali-

aliquid eorum, quæ ad accuratissimam, & literalem Constitutionum Observantiam illuc introducta sunt, vel a te, suisque Successoribus introducentur relaxare, moderari, revocare, aut quocummodo mutare possit; Cetera ad te, tuumque officium, integro semper biennio a die capte possessionis in posterum duraturum pertinebit supradictis Conventibus, & locis tum habitis, tum habendis speciali cura superintendere, inferiores Officiales præmissi maturo Patrum consilio instituire, ac destituere, Fratres assignando, vel depositando ab uno ad alium Conventum, seu locum transferre, cultum divinum, Novitiorum educationem, ac Scholarum exercitia ordinare, in ambiguis patulum ad te refugium unicuique tum superiori, tum subdito ad hunc Vicariatum spectanti præbere, Priorum sibi subditorum œconomia invigilare, ejusdemque sanctæ observantiæ non solum firmitatem, sed & incrementa, atque ulteriorem sub divino auxilio dilationem ardentissime promoveri. Porro, ut in hujus excubitoria Custodiæ, ac vigiliarum labore meritorum tuorum opulenta stipendia ex obedientiæ thesauris feliciter multiplicentur, precipimus tibi, in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, quatenus hoc onus, novumque Vicarii Officium, ad effectum, ut supra, commemoravimus incunctanter, ac sine replica in te suscipias, atque ex vi hujus muneris tibi inuncti viis omnibus regularis observantiæ incolumitatem, progressum, quietem, velut ad bella doctissimus, fideliter propugnēs, ensemque hunc, quem eo sine tibi porrigitur jugiter super femur tuum circumportēs, ut te Custode semper in tuto sitis, quem diximus lectulus Salamonis; sub eodem præcepto formali mandamus omnibus, & singulis nostræ curæ subiectis, ut te tanquam verum, & legitimum Vicarium supradictorum Conventuum suscipiant, & reverentur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum &c. Datum Romæ die 4. Augusti 1662.

Fr. Joannes Baptista de Marinis Magister Ordinis.

Fr. Bernardinus de Venetiis Magister, & Socius.

Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum Humilis Magister Generalis, & Servus ad perennem rei memoriam, & firmitatem.

Quam utiliter, ac decore literarum studia congruant statui Religioso, & præsertim nostro, qui ad prædicandum, & docendum, confundendaque hereses peculiariter institutus est, nemo expressit luculentius, deduxit clarius, confirmavit validius ipso Angelico Doctore nostro, qui 2. 2. quæst. 83. huic veritati quantum articulum insumpsit integrum, nec de sola utilitate, aut oratione, sed plane de ne-

cessitate resolutoriam pronunciat sententiam, qua directe affirmat (necessarium est studium literarum Religiosis ad prædicandum institutum.) Ne igitur novella Congregatio nostræ Beati Jacobi Veneti intra Provinciam nostram Sancti Dominici Venetiarum ad exactum regularis observantiæ rigorem specialiter coalita, magno, ac pernecessario isto literariorum exercitiorum præsidio domi suæ destituatur, injecta est Nobis salubris cogitatio (ipsis quoque primariis dictæ Congregationis Patribus una cum suo capite concorditer idem sollicitantibus) concedendi eidem, juxta Ordinis usum, & universalem in Provinciis praxim domesticam, aliquod propriarum Scholarum Athenæum, non quidem sub forma, tituloque studii Generalis (ne veteri hujus Provinciae Generali studio Patavino videamur aut derogare quidquam velle, aut certe minus favere) attamen sub nomine, & jure Collegii pro solis, tum moderatoribus, tum Fratribus studiosis in dicta Congregatione arctioris observantiæ tenorem sive amplexis, sive in posterum amplexuris; ita tamen ut ejusmodi Collegii functiones, & exercitia neminem ab exacta ibidem rigidioris disciplinæ lege, aut eximant, aut impediunt, sanctæque in omnibus uniformitati nullum subnastratur ex scholastica occupatione detrimentum. Porro ad hunc effectum commodius, pleniusque consequendum, de opportuno prudentum consilio, delegimus Conventum nostrum Sancti Secundi prope inclitam Urbem Venetiarum; siquidem, & insula minus exposita est occasionibus distractionum, & tanti Emporii vicinitas facilius admittit Virorum doctorem in publicis actibus literariis necessaria commercia. Proinde harum serie, nostrique officii auctoritate in prænominato Conventu nostro Sancti Secundi (salva semper tum unione Provinciae, tum uniformi observantiæ rigore in Congregatione) institutum, damus, erigimus, institutumque, datum, & erectum declaramus studium tam Theologicæ, quam Philosophicæ facultatis, sub forma, nomine, privilegiis, & juribus Collegii Scholastici, ad modum Collegii nostri Montis Dei Neapoli in Congregatione Observantiæ Sanctæ Mariæ Sanitatis, sic tamen, ut in hoc novo Collegio nulli pateat aditus, sive docendi, sive discendi, nisi qui in præmemorata Congregatione Beati Jacobi Veneti rite prius fuerit admittus, & incorporatus; idque sub nullitate omnimoda, si aliter subintravit. Denique Admodum Reverendo Patri Vicario Generali ejusdem Congregationis precipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, quatenus ad formandum, populandumque supradictum novum Collegium discipulos ex suis quamprimum assignet, Professores, ac Moderatores, quos seorsim deputavimus, suis ibidem functionibus admoveat, nihilque omittat, quod ad illius Collegii felix auspiciam, incrementum, & florem vide-

rit

rit pertinere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem his Officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datum Romae in Conventu nostro Sanctae Mariae supra Minervam die 25. Aprilis Anno 1665.

Fr. Joannes Baptista de Marinis Magister Ordinis.

Fr. Bernardinus de Venetiis Magister, & Socius.

Confirmatio Pontificis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem Expositio subungebat, praefati Exponentes praemissa quo firmiter subsistant, & serventur exactius Apostolicae confirmationis nostrae praesidio roborari, & alias opportune sibi, ut infra, a Nobis indulgeri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesertim binae memorati Magistri Generalis patentes Literas, cum omnibus, & singulis contentis in illis auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adiciamus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Prohibitio ut in rubr.

§. 3. Praeterea ne de cetero Fratres professi Congregationis praefatae ad Conventus supradictae, vel alterius cujusvis Provinciae dicti Ordinis absque expressa Magistri Generalis ejusdem Ordinis pro tempore existentis licentia transire possint, auctoritate, & tenore praedictis prohibemus, & interdicimus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes ac praesertim patentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, ac Provinciae, & Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet con-

cessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1666. Pontificatus nostri An. XI.

Dat. die 16. Jan. 1666. An. XI.

DXXXIV.

Decernit servandum, & executioni mandandum esse Breve S.S. anno 1661. emanatum quo statutum fuit in Provincia S. Guillelmi Franciae Ordinis Eremitarum S. Augustini perpetuo admittendos esse decem Magistros cum privilegiis loci, & vocis juxta Constitutiones, &c.

Ex Regest. in Sect. Eccl.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Acrosancti Apostolatus Officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione praesidemus, ratio postulat, ut paternam Christi-fidelium Altissimi obsequii sub suavi Religionis jugo mancipatorum curam peculiari studio gerentes, controversias, & contentiones inter eos subortas, ne fraterne charitatis, religiosaeque tranquillitatis serenitatem diutius obnubilent, & conturbent, rescicare, atque omnino e medio tollere conitamar, sicut aequitati, & justitiae consentaneum esse in Domino arbitramur.

Procurium

§. 1. Alias siquidem emanarunt a Nobis literae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet. Alexander PP. VII. ad futuram rei memoriam. In supremo jussu throno, &c. vide Tom. 6. Par. 5. fol. 178. & 361.

Motiva

§. 2. Cum autem, sicut praefatus Procurator Generalis dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exponi fecit, licet causa privilegiorum, & acceptationis decem Magistrorum, seu Doctorum Theologorum cum eisdem privilegiis in praefata Provincia S. Guillelmi, seu Communitate Bituricen. ejusdem Ordinis jam multoties auditis in contradictorio partibus agitata inter praefatos Magistros ex una, & Exprovinciales, ipsisque adhaerentes sub nomine dictae Provinciae ex altera partibus, atque Definitores intervenientes in eadem causa cum quibusdam aliis ejusdem Provinciae per literas nostras praesertim in favorem dictorum Magistrorum terminata, ipsaeque literae in Capitulo Provinciali dictae Prov., die nona Maii 1662. publicatae fuerint, Executores tamen in eisdem literis deputati, propter oppositionem, contumaciam, & rebellionem Exprovincialium ipsisque adherentium contra literas praesertim, interdicta voce dictis Expro-

Exprovincialibus, qui illam cum suis adherentibus denegant Magistris, partes ad Nos, & hanc Sanctam Sedem remiserint, & quamvis illis iterum citatis, & auditis literas praesertim executioni omnino demandandas esse decretum fuerit: nihilominus partes dictis Magistris adversa in sua rebellione, inobedientia, & contumacia permanentes porrecto supplici libello sub nomine Provincialis, Definitorum, Priorum localium, Discretorum Conventuum, & aliorum dictae Provinciae easdem literas oppugnare tentaverint. Nobis propterea memoratus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut causa, & controversiis hujusmodi finem imponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem, specialis favore gratia prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque eccles. sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de praefatorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, inhaerentes praefatis literis, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus servandas, & executioni demandandas esse easdem literas praesertim sub poena nullitatis futuri Capituli Provincialis dictae Provinciae pro tempore, quatenus non obediendo praefatis literis, & non servata illarum forma celebretur, & sub poena privationis vocis activae, & passivae, ac in subsidium excommunicationis omnibus vocalibus, & praesertim eis, ad quos executio dd. literarum praecipue spectat, & pertinet, aut spectare, & pertinere poterit in futurum.

Pontifex confirmat Literas Apust. prout in rubrica.

Et nonnulla decreta pecuniarum revocat

Aliaque ad opportunitatem injungit.

privatos declaramus Exprovinciales ejusdem Provinciae extra corpus Definitorii existentes, cum ipsi sint per Constitutiones dicti Ordinis Magistris posteriores. Insuper defectu nominationis Magistrorum ad formam dictarum literarum nostrarum faciendam a Definitorio praefatae Provinciae pro complendo eorumdem numero post sex menses expletos a die notificationis dictarum literarum Provinciali ejusdem Provinciae faciendam, injungimus, & praecipimus Priori Generali dicti Ord. pro tempore, ut nominet, & constituat futuros Magistros, qui replent dictum numerum denarium Magistrorum, seu Doctorum Theologorum in dicta Provincia, non solum tres modo requisitos, & vacantes ad praefatum numerum denarium completendum, qui pro hac prima vice non requisita dictae Provinciae acceptatione gaudeant dictis privilegiis, verum etiam perpetuis futuris temporibus quodcumque ultra sex Menses a die vacationis alicujus ex praefatis Magistris dicti numeri denarii distulerint, seu omiserint nominationem ad formam earundem literarum praesertim. Quod autem in dictis nostris literis inter alia requisita disponitur circa eos, qui per decennium concionati fuerint in principalioribus Ecclesiis, declaramus, & disponimus intelligi de principalioribus Ecclesiis non solum Cathedralibus, verum, etiam Parochialibus, Collegiatis, & Conventualibus, & conciones habite sint per decennium computando tam cursus quadagesimales, quam Adventus quolibet die juxta morem Galliae, & cursus Dominicales per annum; ita ut quilibet ex dictis tribus cursus computetur in numero decem annorum concionis explenda.

§. 4. Praeterea injungimus, & praecipimus praefato Priori Generali pro tempore Ordinis hujusmodi, ut in literis praesertim Capitulum Provincialium dictae Provinciae pro tempore mittendis specificam, & expressam mentionem faciat praefatarum nostrarum literarum, easque servari jubeat, & faciat sub poenis in eis contentis, quibus effectivae subiciat contradictores rebelles, & contumaces quoscumque.

§. 5. Denique mandamus, ut nulla alia commissio expediatur super hujusmodi negotio in praedictum earundem literarum praesertim, ac proinde circa praemissa omnia, & singula ita fieri, & observari mandamus, & praecipimus sub praed. poenis.

§. 6. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Quia

Exequutores deputat.

§.7. Quia vero ex tribus Prælati Executoribus literarum nostrarum præinfertarum in eis nominatis primus vjam univerfæ carnis ingressus est, secundus autem ob nimiam suæ Dicecesis distantiam vix adesse potest, & solus superest tertius, nempe Ven. Frater Harduinus nunc Archiepiscopus Parisien., Idcirco eidem Harduino Archiepiscopo, ac Venerabilibus etiam Fratribus Henrico Ebriocen., & Joanni olim Condomien. Episcopis per præfentes committimus pariter, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios eadem præfentes, ac præinfertas literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Magistrorum præfatorum, aliorumque in præmissis interesse habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas præfentes, ac præinfertas literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari, dictosque Magistros, aliosque interesse habentes, & eorum quemlibet illorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permitte eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, vexari, vel perturbari; Contradictores quoslibet, & rebelles per præfatas, & alias pœnas, & censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, similiter compescendo, legitimisque super his habent. servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis detogat.

Dat. die 26. Jan. 1666. An. XI.

§.8. Non obstantibus supradictis rescriptis, seu decretis, aliisque præmissis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinfertis literis concessimus non obstante, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Januar. 1666. Pontificatus nostri Anno XI.

DXXXV.

Decernit, quod deinceps Capitulum Generale Congregationis Eremitarum Camaldulensium de biennio in biennium: & Dieta anno post celebrationem Capituli hujusmodi respectively celebrari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Recepit alias literas.

Alias emanarunt a Nobis ad supplicationem tunc existentium Definitorum Dietæ Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium literæ in simili

forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Debitum Pastoralis Officii, quod auctore Deo gerimus, postulat, ut felici, prosperoque Congregationum Virorum, Altissimi obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, providere jugiter satagamus.

§.2. Exponi si videm Nobis nuper fecerunt dilecti filii Definitores Dietæ Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium, quod multorum annorum experimento compertum est magno incommodo, & detrimento esse eidem Congregationi, quod singulis biennis Capitulum quidem Generale uno anno, Dieta vero generalis ipsius Congregationis altero respectively celebrentur, nam cum dicti Eremitæ solitudini sint addicti, maxime deceat eos videri totum annum per diversoria vagantes ex causa similium Dietarum, & Capitulorum, in quibus plurimæ fieri solent mutationes Religiosorum, & Priorum: Qui quod se in eodem gubernio diu non permansuros vident, utilitati Eremorum segnius dant operam, sæpeque contingit, ut quod unus inceperit, successores dissolvat, aut non prosequatur, quia fit opus ab aliis inchoatum.

Accedit, quod tam frequens Dietarum, & Capitulorum hujusmodi celebratio totam Congregationem prædictam, & præsertim Eremum Camaldulensem gravibus sumptibus onerat; quodque Superiores majores tam modici temporis spatio notitiam Eremitarum, ac negotiorum, tam spiritualium, quam temporalium dictæ Congreg. capere nequeunt. Quinimo cum eadem Congregatio, non solum in Italia, sed etiam in Polonia Regione valde remota (benedicente Domino) propagata reperitur, nec possunt Eremitæ Poloniæ singulis biennis visitari, nec illarum Priores ad Capitulum Generale venire, quod tamen fieri posset si illud de quadriennio in quadriennium haberetur; quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur eisdem Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero Capitulum quidem Generale de quadriennio in quadriennium, Dieta vero Congregationis Camaldul. prædictæ demum biennio post celebrationem Capituli Generalis hujusmodi respectively haberi, & celebrari debeant

beant itaut primum quadriennium a Dominica tertia post Pascha Resurrectionis Dominica proxime præteritum computetur, & tertia Dominica post Pascha ejusdem Resurrectionis Dominica anni 1665. expiret; ac tam moderni, quam futuri ejusdem Congregationis Superiores, qui in Capitulo Generali eligi solent, in suis respectively muneribus quadriennio durent, auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus, ac perpetuo statuimus, & ordinamus.

Decernentes eadem præfentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respectively inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privi legis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præfentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volimus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præfentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Januar. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

Motiva abolitionis præfatarum literarum.

§.3. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Eremitarum Camaldulensium Nobis nuper exponi fecit, quæ in præinfertis literis Nobis exposita fuisse narratur, veritati minime nitantur, quandoquidem celebrationi Capituli Generalis ejusdem Congregationis non intersint, nisi Major, Visitatores, & Procurator Generalis, ac Priores Eremorum ipsius Congregationis, ex quibus Major, & Visitatores in loco Capituli hujusmodi commorantur, qui vero ejus rei causa iter agere debent, pauci sunt quorum aliqui senectute, vel infirmitate præpediti ad Capitulum non accedunt, & multi in locis ab Eremo Camaldulensi, ubi Capitulum habetur, parum distantibus degunt: Quinimo observatum fuerit, quod Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

frequens Priorum mutatio minorem adferat familiarum mutationem, quod quidem præterito quadriennio usu venit, quo in aliqua Eremo, cum Prior mutari non posset, bonam partem illius Religiosorum mutari oportuit; Nec Eremus prædicta Camaldulensis onere considerabili ex causa paucorum Eremitarum, qui paucis diebus ibidem quolibet biennio morantur, gravetur; quippe quæ duodecies mille, & aliquando pluribus personis illuc confluentibus annuatim alimenta præbeat. Eremitæ autem Poloniæ non teneantur ex præfcripto Constitutionum Congregationis prædictæ ad Capitulum accedere, nisi singulis quadrienniis, eisque datus fuerit Vicarius Generalis, & concessa nominatio ad Prælaturas, ut minorem habeant iter agendi occasionem.

Cumque frequentia Capitulorum eidem Congregationi in spiritualibus, & temporalibus notabiliter proffit Prælati ibidem exactissimam actionem, & administrationem suarum rationem reddentibus, quod & illis intra debiti officii limites continendis non mediocriter conducit, & peropportunum est conservandæ regulari observantiæ, quæ novis subinde decretis, sicuti deficere videtur, firmiter stabilitur in Capitulo Generali, cui etiam reservata sunt multa magni momenti negotia, quorum resolutionem ad quadriennium differri quandoque non expedit. Quin etiam ex quadrienniali Capitulorum hujusmodi celebratione hoc sequatur incommodi, quod Visitatores, qui visitationes suas intra biennium absolvunt, altero biennio cessarent a visitando, nec Eremitæ interea visitarentur, attento, quod Const. d. Congregationis non permittant visitationes ab eisdem iterari; unde si novæ Visitatiōis gratia post biennium officio renunciare deberent, prout re ipsa factum est in quadriennio proxime præterito, inde consequeretur, ut finito officio non possent Capitulum Generale cum voce intervenire, qui tamen interventus maxime necessarius est, ut ab ipsis Capitulares de statu Congregationis doceantur; ac demum considerandum sit, quod per Constitutiones Congregationis hujusmodi cavetur expresse, ne quis ultra sexennium in Prælaturis continuari possit, atque ita si Capitula de quadriennio in quadriennium celebrarentur, necesse foret in eorum quolibet omnes Prælatos mutari, quippe qui usque ad aliud subsequens Capitulum, scilicet per octennium in Prælaturis hujusmodi contra earumdem Constitutionum dispositionem continuare non valerent.

Abolutio a cœniziis.

§.4. Nobis propterea prædictus Procurator Generalis, tam suo, quam dilectorum pariter filiorum Majoris, & Definitorum dictæ Congregationis nominibus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur incommodis prædictis quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere, ac ejusdem Congregationis salubri directioni, & uti-

utilitati consulere cupientes, dictosque Majorem, & Definidores, ac Procuratorem Generalem specialis favore gratie profectui volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latitis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Capitulum Generale de biennio in biennium, & Dieta anno post celebrationem Capituli hujusmodi respectively haberi, & celebrari debeant; nec Prælatum dictæ Congregationis ultra biennium durent, quemadmodum per Constitutiones ejusdem Congregationis cautum reperitur, & antequam præsertim nostræ literæ emanarent, fieri solebat, auctoritate prædicta tenore presentium concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus.

Confirmat prout in rubr.

Ac proinde easdem lit. nostras præsertas, omniaque, & singula in eis contenta auctoritate, & tenore prædictis ex nunc revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, & ex nunc revocata, cassata, irrita, & nulla, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua esse; presentes vero literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Non obstantibus literis præsertis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cæterum volumus pariter, ut presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima octava Januarii 1666., Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 28. Jan. 1666. An.XI.

Quod Fratres Trinitarii Provincia Castellæ, Aragoniæ, & Beticæ, aliarumque Provinciarum Redemptionis Captivorum, non possint uti Cappa nigra.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis coelitus apostolicæ servitutis officio controversias inter Viros Religiosos exortas, ne pacis, fraternæque charitatis serenitatem obnubilent, opportunis rationibus dirimere satagimus, quemadmodum omnibus mature consideratis, arbitramur in Domino rationi esse consentaneum.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod licet dictus Ordo a Sancto Dominico fundatus proprio, & peculiari habitu decoretur, nempe tunica, & scapulari albis cum caputio pariter albo, & cappa nigra cum caputio item nigro, eumque habitum sub præscriptis forma, colore, modo, & dispositione publice, & privatim Fratres Prædicatores deferre consueverint, illoque ab aliis religionibus distinguantur, & ex speciali privilegio decem Romani Pontifices sel. rec. Prædecessores nostri severissime præceperint, ne aliquis, sive sit in Ordine, sive extra Ordinem constitutus, deferat habitum Fratrum Prædicatorum, aut ita confimilem, quod propter eum Frater Prædicator credi possit, absque speciali Apostolicæ Sedis mandato, addito decreto irritanti, si quid in contrarium factum fuerit, & committendo Diocesani locorum, ut per censuras ecclesiasticas, omni appellatione postposita, cum requisiti fuerint, compellant quemcumque ad eum deponendum, prout ex eorumdem Prædecessorum nostrorum Literis Apostolicis desuper expeditis constare dicitur.

Supplicatio.

§.2. Nihilominus Provincia Castellæ, Aragoniæ, & Beticæ Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum contra tenorem tot Constitutionum Apostolicarum, imo, & contra usum majoris partis Provinciarum suæ Religionis, cum suo Capite Ministro Generali mutare habitum album primitivum suæ Religionis, & deferunt cappas, & caputia nigri coloris in nullo dissimilia ab illis, quibus utuntur Fratres Prædicatores, præterquam in signo Crucis, quod minime, aut parum discernit eos a Fratribus Prædicatoribus, nec facit quin habeantur pro Fratribus Prædicatoribus: contendentes usum cappæ, & caputii nigri coloris sibi esse licitum per modificationem Regulæ factam a rec. mem. Clemente Papa IV. Prædecessore pariter nostro sub dat. Viterbii 7. Idus Decembris Anni 1267., & per concessionem factam per literas Pœnitentiariæ Apostolicæ sub piæ mem. Pio Papa IV. etiam Præ-

Præ-

Prædecessore nostro, sub dat. Romæ 5. Nonas Julii, Pontificatus ejus Anno primo, in quibus (ut asserunt) conceditur color brunus in cappis. Et quoniam hoc est liberè dictum, quia talis permissio non solum non reperitur in prædicta modificatione, imo in eadem præcipitur contrarium, quia in illa solummodo leguntur hæc verba: Vestimenta sint lanea, & alba: ut constat ex Regeſto originali in Archivio Apostolico Vaticano existente, & hoc alias a similis recordationis Innocentio Papa III. in primitiva Regulæ dispositum erat per ejus literas quarum initium, operante divina dispositionis clementia, datas Laterani 6. Kalend. Januarii 1198. Pontificatus sui Anno primo. Et in præcatis literis Pœnitentiariæ Apostolicæ permittitur Provincie tantum Castellæ usus brunii coloris determinati, illius nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur, Buriel, in vim cujus asserat permissio, sive proprio arbitratu, sive alias prædicti Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis addiderunt Regulæ, & Constitutionibus in locis ubi tractatur de vestimentis Fratrum, aliquas clausulas in grave dictorum Fratrum Prædicatorum præjudicium, & contra dispositionem tot Summorum Pontificum, & signanter in Reg. num. 6. §. Vestimenta, ad illa verba, excepta cappa: & in eodem Textu relato cap. 14. titulo de vestitu, & honestate habitus: & in declaratione ejusdem Text. cap. citato, §. 2. ad illa verba, sed in modificatione, usque ad finem §., & in cap. 16. titulo de signis in habitu ponendis, Text. §. 1., ad illa verba: Sed neque cappa.

§.3. Nobis propterea memoratus Magister Generalis, tam suo, quam totius sui Ordinis Prædicatorum nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latitis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem de mandato nostro pluries partibus auditis, mature discussurunt, & examinarunt, consilio, visisque per eosdem Cardinales Brevis Apostolicis, & signanter Regeſto originali literarum prædicti Clementis IV. Prædecessoris, quarum initium, in Ordine nostro, sub dat. Viterbii 7. Idus Decembris 1267. Pontificatus sui anno tertio, necnon privilegiis, scripturis, & instrumentis hinc inde exhibitis, aliisque videndis, auctoritate apostolica tenore presentium decernimus, & declaramus, non licere Fratrum Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

tribus Trinitariis, tam dictarum, quam aliarum quarumcumque Provinciarum, uti cappa nisi albi coloris, excepta tamen Provincia Castellæ, in qua ad præscriptum literarum Pœnitentiariæ Apostolicæ memorati Pii IV. Prædecessoris, sub dat. Romæ 5. Nonas Julii, Pontificatus ejus anno primo, licere uti cappa coloris brunii, ejus nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur Buriel, non autem nigri coloris: & ad tenorem presentium literarum corrigendas esse Regulam, & Constitutiones dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis respectively in locis, textibus, capitulis, & declarationibus, in quibus tractatur de vestimentis Fratrum.

Executores deputat.

§.4. Ut autem earumdem literarum executioni firmiter consulatur, auctoritate prædicta committimus, & injungimus Ordinariis locorum, ut quoties pro parte dictæ Religionis Prædicatorum fuerint respectively requisiti, seu quilibet eorum fuerit requisitus, Fratres dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, qui cappam nigri coloris, seu alias contra presentium literarum formam deferre præsumserint, ad ipsam deponendam per censuras ecclesiasticas, aliaque juris, & facti remedia, omni appellatione postposita (invocato etiam, quatenus opus sit, brachii secularis auxilio) per se, vel per alios dicta auctoritate cogant, & compellant, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædicatorum Cardinalium.

Decretum. licitans.

§.5. Decernentes ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandoque spectabit, inviolabiliter observari; & dicto Ordini Prædicatorum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.6. Non obstantibus in contrarium deductis, etiam speciali expressione dignis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, ejusque Provinciarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derog., cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§.7. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in eccle- cle fia

clericalia dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Febr. 1666. Pontificatus nostri Anno XI.

DXXXVII.

Ex Regest. in Sect. Brev.

Confirmatio diversorum Capitulorum inter Fratres Conventus S. Franciscæ Romanæ Ord. Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum, & Augustinianos Reformatos Hospitii Sanctorum Ildephonsi, & Guillelmi de Urbe super statu dicti Hospitii, ejusque Oratorii, ac numero Fratrum Augustinianorum inibi commoratorum, aliisque articulis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Militantis Ecclesie regimini superni dispositione consilii praesidentes, illis, quae inter Christianos quoscumque, & praesertim illos, qui e fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, pacis, atque amabilis concordiae studio provide, & concordata esse noscuntur, ut stabilia semper, & illibata persistant, libenter, dum id a Nobis petitur, Apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

Postulatio.

§.2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus Sanctae Franciscæ Romanæ in via felici nuncupata de Urbe Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, ac Fratres Reformati Ordinis S. Augustini degentes in Hospitio SS. Ildephonsi, & Guillelmi in eadem via, quod pro terminandis controversiis alias exortis circa statum praedicti Hospitii, & pro bono pacis perpetuo conservandae, sicut Religiosos viros decet, ipsi fratres tam Conventus, quam Hospitii huiusmodi die 8. Februarii proxime praeteriti ad sonum campanulae capitulariter congregati coram dilecto filio Michaeli Angelo Curiae Capitoline Notario per viam concordiae, & stipulationis omni meliori modo, & forma, tam suo, quam futurorum Conventus, & Hospitii huiusmodi Religiosorum nomine convenerunt, ut inter ipsos in perpetuum observentur infra scriptae conditiones, & pacta, ac juxta illas, & illa licitum sit Religiosis dicti Hospitii ea facere, quae continentur in articulis, seu Capitulis tenoris, qui sequitur, videlicet:

Primo. Quod debeant, & obligati sint Patres dicti Hospitii S. Ildephonsi demolire, & admovere Campanile in praesentiarum existens supra tectum ejusdem Hospitii, & ponere campanam intra angulum ejusdem Hospitii sub tecto altitudinis cornicionis e conspectu mascheronis existentis in eodem cornicione, nec in poste-

rum possint Patres erigere Campanile, nec retinere Campanas supra dictos tectos nec in majori altitudine supradicti cornicionis, & possint pulsare eandem Campanam in posterum uti usque in praesentem pulsata extitit, quia sic &c.

Secundo. Quod dicti Patres ejusdem Hospitii non possint ullo unquam tempore per Urbem mendicare ostiatim elemosynam ex pacto, quia sic &c.

Tertio. Quod domus in praesentiarum habitata a Domino Alonso de Ibarra connexa Oratorio ejusdem Hospitii ex parte versus Ecclesiam S. Franciscæ, quae domus spectat ad dictos Patres praedicti Hospitii S. Ildephonsi, & quilibet alia domus, quae ipsis Patribus relicta fuerit, vel ab ipsis empti versus Conventum S. Franciscæ, non possint ullo unquam tempore incorporare, aut dilatare eorum Hospitium, sed illas retinere solum pro usu affectus pro eorum sustentatione ex pacto, quia sic &c.

Quarto quod in festivitibus Ordinis Sanctissimae Trinitatis, & tituli S. Franciscæ, & in die festo S. Catharinae Virginis, & Martyris, & S. Agnetis secundo, & feria quarta Cinerum non possint dicti Patres praedicti Hospitii administrare Sacramenta ulli personae, neque solemnizare festivitatem aliquam sub expressa prohibitione ex pacto, quia sic &c.

Quinto. Quod status dicti Hospitii semper, & perpetuo stare debeat in statu Hospitii, ut in praesentiarum reperitur, nec ullo unquam tempore in illo possint habitare, nec debeant habitare plures personae regulares inter Sacerdotes, laicos, & Tertiariorum, quam decem Religiosos, & semper dici debeat habitatio Hospitii ex pacto, quia sic &c.

Sexto. Quod respectu formae dicti Hospitii, & status in praesentiarum existentis nullo unquam futuro tempore mutari possit in forma Conventus, nec versus Ecclesiam S. Franciscæ, nec versus Plateam Barberinam, sed semper remanere debeat in statu praesentaneo Hospitii sub perpetua prohibitione non ampliandi ex pacto, quia sic &c.

Septimo. Quod Oratorium dicti Hospitii sub invocatione in praesentiarum Sanctorum Ildephonsi, & Guillelmi, semper dici debeat Oratorium, nec ullo unquam tempore alia denominatio acquiri possit, praeterquam Oratorii sub modo infra scripto, idest, in toto anno in diebus festivis Dominicarum, Festivitatum ex praecipuo, & devotione, & ferialium dierum retinere dictum Oratorium de mane cum janua aperta, & ibi in dicto Oratorio Missas privatas celebrare (non tamen Missas cantatas solemnes, nec Vesperas solemnes, & processiones) & administrare in dicto Oratorio omnibus Christianis utriusque sexus Sanctiss. Sacramenta Poenitentiae, & Eucharistiae usque ad sonum campanae, ut dicitur, a mezzo giorno, & post mediam diem claudere debeant ostium dicti Oratorii usque ad aliud mane, nec unquam retinere ostium

ostium apertum de die sub expressa prohibitione, & ita perpetuo observare ex pacto quia sic &c.

Octavo. Quod in solemnitatibus Ordinis Eremitarum S. Augustini, & tituli d. Oratorii, & solemnitatibus S. R. E. liceat, & possint dd. Patres solemnizare in dicto Oratorio infra scriptas solemnitates, idest in festo S. Ildephonsi Episc., & Confessoris, S. Guillelmi Conf., S. Augustini, S. Monicae, S. Nicolai de Tolentino, S. Thomae de Villanova, & in omnibus festivitibus solemnibus gloriosae Virg. Mariae, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus, in festivitate Corporis Christi, cum sua Octava, & in feria quinta majoris Hebdomadae usque ad Sabbathum Sanctum, in quibus festivitibus supradictis solummodo ut supra possint Patres d. Hospitii retinere portam Orat. de sero etiam apertam, & in aliis temporibus anni prohibitum sit ex pacto, quia sic &c.

Nono. Quod dd. Patres d. Hospitii nullo unquam tempore futuro possint jure sepulturae habere, nec cadavera mortuorum cujuscumque sexus sepellire, sed solum licitum sit posse sepellire personas seculares cujuscumque sexus laicos, & Ecclesiasticos Hispanae Nationis tantum, & familiares Hospitii, idest actuarios famulos, Barbitonforem, Chirurgum, Medicum, Fabrum cimentarium, Procuratorem, Advocatum, & Notarium, sub prohibitione aliarum personarum ex pacto, quia sic &c.

Decimo. Quod nullo unquam tempore Patres dicti Hospitii possint exercere processiones cujusvis generis, nec privatas, nec publicas, nec functiones conventuales, sed semper retinere Oratorium, sub usu Oratorii, nec ullo unquam tempore respective licentiarum, ut supra, concessarum possint acquirere jus ullum, ullius status Ecclesiae, sed semper dici debeat status Oratorii ex pacto, quia sic &c.

Undecimo. Quod possint dicti Patres emere situm versus Plateam Barberinam, seu Sfortiae usque ad terminum primae Domus Michaelis de Marchis, ubi in praesentiarum inhabitant Dominus Laurentius Mongiamoroti, & Elisabeth Joannis Baptistae Fontana, & in illo situ fabricare novum Oratorium latitudinis palmorum murariorum passetti ad usum fabri cementarii in palmis 55. & longitudinis palmorum murariorum passetti fabri cementarii in palmis 84. & huiusmodi magnitudo, & longitudo inservire debeat pro constructione dictae fabricae totius dicti Oratorii, idest pro muris, vano Oratorii, & Cappellae ipsius, & Cappella majore, & non plus, nec alias, nec dictum Oratorium de novo fabricandum in futuro tempore possint asportare versus Ecclesiam Sanctae Franciscæ nec aliam longitudinem, nec latitudinem habere possint, neque uti in ampliatione, dicti Patres, & constructione dicti Oratorii ex pacto expresso, quia sic &c.

Duodecimo. Quod ex causa dictae ampliationis, dilatationis, & translationis Oratorii Patres Conventus Sanctae Franciscæ praestant omnem assensum, & consensum licere Patribus dicti Hospitii Sancti Ildephonsi retrahere situm versus Plateam Barberinam connexum eorum Hospitio usque ad Domum Michaelis de Marchis, ut supra, & omni alio meliori modo, quia sic &c.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, inter praefatos Exponentes primario conventum fuerit, quod super praemissis obtineri deberet assensus, & beneplacitum Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, quae die 25. Januarii 1658. decrevisse reperitur, non licere Fratribus Augustinianis Disalceatis Hispaniarum in via felici dilatare Oratorium Hospitii: Ipsique Exponentes conventionem huiusmodi quo firmiter subsistat, & servetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communi summopere desiderant: Nos specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praefatorum Cardinalium consilio, attentis narratis, conventionem, & Capitula praesentia auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, & executioni demandari decernimus; Salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

§.3. Decernentes pariter easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus memorato dictae Congregationis Decreto, ac quatenus opus sit felic. recordat. Pauli Papae II. & aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon praefatorum Conventus, & Hospitii, ac Ordinum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis

Abolatio 2 centuris.

Confirmat prout in rubr.

Decretum irritans.

Derogat contrariis.